Quamvis autem Referens apud Klock. *Votor. Cameralium Relat.* 7. *num.* 180. *&* 173. voluerit 7
Stamgüter esse bona, quæ à communi, tam venditoris, quam retrahentis stipite provenerunt, licet etiam Stamgüter propriè dici possint bona à communi trunco & stipite tam defuncti, quam ad ejus successionem contendentis procedentia.

Ego tamen ex Actis & Relationibus ac communi usu loquendi sæpissimè animadverti, quòd 8
Erbgüter/ Stamgüter/ Stockgüter apud nos promiscuè usurpentur & confundantur, ita ut Stam- und Stockgüter etiam dicantur bona immobilia, quæ à stipite sive primo acquirente ad defunctum, de cujus bonis agitur, devenerunt, licet prætendens hæc bona non descendat à stipite, vel acquirente, sed illum lineâ transversali solum attingat. Exemplis hæc fient illustriora.

9 CAjus acquisivit duo prædia, quorum unum mortuo Cajo in divisione hæreditatis, devenit ad filium Titium, & post ejus obitum ad Caji nepotem Stichum qui moritur sine liberis, relicto patruo Mævio, hoc prædium fuit stipale defuncto Sticho, est etiam tale Mævio succedenti, quia uterque descendit à Cajo communi stipite ac dicti prædii primo acquirente, & vocatur propriè Stamgut/Stockgut. Sequitur illud Exemplum.



10 LUcius emit domum, in qua ei successit filius Eugenius, qui obiit absque prole, superstite ei Theophilo hoc casu licet dicta domus non sit stipalis Theophilo, quia non descendit à primo acquirente Lucio, sed ei solùm est collateralis, vocatur tamen etiam ex communi usu loquendi ein Stockgut / Stamgut / eâ ratione & respectu, quod fuerit stipalis defuncto Eugenio, ad quem à stipite & acquirente Lucio per successionem devenit.

Hisce pro majori elucidatione, nec non faciliori subsequentium intellectu præmissis, dico primò, Juri Revolutionis non esse locum in
11 bonis mobilibus à defuncto, de cujus successione agitur, relictis, sive is illa acquisiverit, sive à parentibus & majoribus acceperit, quod palam fit ex iis, quæ dixi supra *Cap.* 1. *n.* 2. *in verb.* Erbzahl wieder zurügge fallen / dar dat herkommen. *& num.* 13. *in verbis,* die Erbgüter dahin fallen sollen / daher sie kommen. Item *num.* 14. *ibi.* In allen und jeden Erbgütern/ *& paulo post in verbis,* daß alle Erbgüter/ daher sie kommen/fallen sollen/ quæ verba cum solum meminerint immobilium hæreditariorum, bona mobilia exclusisse censenda sunt.

Secundò non obtinet Jus Revolutionis in bonis immobilibus à defuncto, de cujus successione 12
quæritur, acquisitis, tum per verbum Erbgüter / quod opponitur den gewonnen und geworbenen Gütern / ut dixi *hoc cap. num.* 5. tum per naturalem rationem, quod retrò devolvi sive revolvi nequeat, quod nondum ad descendentes devolutum fuit, germanicè, Was nicht abhin oder herabgefallen und vererbt ist / kan nicht zurück oder hinder sich fallen und erben.

Idem quoad dicta mobilia & acquisita immobilia moribus aliarum Regionum, ubi Jus Revo- 13
lutionis

lutionis viget, obſervari tradit. Gudelin. *de jure noviſſimo lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 10. *ibid.* Sed hoc in bonis mobilibus, vel iis quæ acquiſita ſunt à defuncto, immobilibus, ſecus in his, quæ patrimonii ſunt. Chriſtin. *ad conſuetudin. Mechlin. tit.* 16. *art.* 12. *num.* 8. *circa finem in verbis: Acquiſita vero per defunctum pertinebunt ad proximum, ſive ille ex paterno ſive materno ſit latere.* Idem Chriſtin. *Deciſ. Belgicar. Vol.* 1. *deciſ.* 285. *num.* 2. *ibi. idque in bonis mobilibus, vel iis, quæ acquiſita ſunt à defuncto, immobilibus, Item eod. Vol.* 1. *deciſ.* 384. *num.* 6. *&* 7. *his verbis: Moribus tamen noſtris imprimis bona ſequuntur lineam, à quâ provenerunt, eosque ſolos, qui ſunt ejusdem lineæ, quod quidem procedit in rebus ſoli antiquis, non autem in illis, quæ à defuncto ipſo acquiſita fuerunt, & Vol.* 6. *deciſ.* 57. *num.* 3. *ubi.* Quod mobilia & immobilia ab ipſo defuncto acquiſita regulariter deferantur aſcendentibus, vel non exiſtentibus aſcendentibus ei, qui gradu proximior eſt inter transverſales, quique de jure in univerſum jus ſuccedere debet, nullâ habitâ ratione agnationis aut cognationis, aut lineæ bonorum. Carol. de Mean. *ad jus civil. Leodienſ. Obſervat.* 133. *pag. mihi* 574. *in fine.* Ubi ait, quod acquiſita dicantur, quæ is, de cujus ſucceſſione agitur, acquiſivit, in quibus non habeat locum regula, paterna paternis, materna maternis, ſed indiſtinctè proximioribus conſanguineis deferantur, paterni ſint an materni, cum illa ſint indifferentia, & nulli certæ lineæ affixa. Francois Barry *de ſucceſſion lib.* 18. *tit.* 3. *num.* 11. Ubi dicit, bona quæ ille, de cujus ſucceſſione agitur, acquiſivit, deferri proximioribus indiſtinctè, ſive paterni ſint cognati ſive materni Joann. Grivell. *deciſ. ſenat. Dolan.* 53 *num.* 20. 21. *&* 22. Ubi quoad mobilia hanc rationem adfert quod naturalis illa affectio, quam habemus ad res, quæ fuerunt majorum noſtrorum, non verſetur circa mobilia, quorum dicitur vilis & abjecta poſſeſſio & *Deciſ.* 109. *num.* 2. *&* 3. Ubi pro conſtanti ponit, quod conſuetudo, ut bona ſequantur lineam, unde provenerunt, non habeat locum in bonis mobilibus & immobilibus ab ipſo defuncto quæſitis, licet alias bonorum generali appellatione veniant tam mobilia quam immobilia acquiſita.

14 Procedit verò & locum habet jus Revolutionis in bonis immobilibus, quæ ab aſcendentibus ad deſcendentes hæreditario jure pervenerunt. In Elterlichen von auffſteigender Linien herfliesſenden / anererbten / anerſtorbenen / anerfallenen Erbgüteren / Stamgüteren / Stockgüteren. De quibus *hoc Cap. num.* 5. 6. 7. 8. 9. *&* 10. latè egi. Si igitur ſine liberis defunctus relinquat bona immobilia ab Avo, proavo vel ulterioribus aſcendentibus acquiſita, ſuccedent in his bonis proximi cognati, qui ſunt de lineâ Avi, proavi, vel ulteriorum aſcendentium à quibus velut acquirentibus proceſſerunt, excluſis aliis qui non ſunt iſtius lineæ, licet defuncto proximiores in gradu,
15 ubi occaſione lineæ, cujus mentionem feci, in hac Revolutionis materiâ ſummè notandum venit, quod linea geometrica habeat duo puncta, quorum primum ducitur & incipit à perſona ejus, qui bona de quibus agitur acquiſivit & intulit in familiam, alterum punctum ſe finit in defuncto, cui ſuccedendum eſt, unde non ſufficit Volentem ſuccedere eſſe proximum conſanguineum ultimò defuncti, ſed etiam requiritur, ut ſit de lineâ primi acquirentis, ſive illa ſit directa ſive collateralis, per ea quæ tradunt Joann. Papon. *lib.* 21. *tit.* 1. *de Succeſſion. arreſt.* 14. *alias* 15. *circa finem.* Jul. Brodeau ad Georg. Loüet. *Lit. P. arreſt.* 28. *pag. mihi.* 184. *§. ce qui faiſoit. in fine & pag.* 189. *Col.* 1. *in princ.*

Quamvis autem inter juris & conſuetudinum 16
interpretes non ſatis conveniat, ſæpius etiam in noſtris tribunalibus agitatum ſit, an bona hæreditaria Erb-Stam- und Stockgüter dicantur, quæ defunctus à ſuis majoribus Avo nimirum vel Avia, Proavo, aut Proaviâ & ulterioribus aſcendentibus non accepit, ſed à ſuo parente ſolo, invaluit tamen in noſtro foro, ſufficere bona ſemel eſſe devoluta in linea directa, ad hoc, ut ſint Erbgüter & Juri Revolutionis obnoxia, ſicuti à ſupremo noſtro Conſiſtorio am Gülich und Bergiſchem Hoff-Gericht judicatum fuit, Anno 1595. 12. Decemb. in cauſa Thonis contra Vinck / & eodem anno ac die in cauſâ Boenen contra Zourß / Item anno 1604. in cauſa Boechen contra Koußman / nec non anno 1605. 10. Nov. in cauſa Deutz contra Lincken / & aliis infra Cap. 12. recenſendis, quibus addi poterit Stephan. Spormech. *De juſtitia Vuln. part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 9. *num.* 19. *in princ.* Mevius *ad jus Lubecenſ. lib.* 1. *tit.* 10. *artic.* 6. *num.* 20. ubi ait, quod ſemel à parente ſolo hæreditario jure accepiſſe ſufficiat, quod ille ſua operâ acquiſivit, ut hæreditarium Erbgut vocetur.

Nec etiam intereſt, an defunctus pleno jure 17
ſucceſſerit in bona, vel ſolum quoad nudam proprietatem uſufructu formali apud Patrem, matrem, avum vel aviam ſuperſtitem permanente, cum moribus noſtris, & aliorum tam proprietas ſeparata ab uſufructu, quam conſolidata Jus Revolutionis agnoſcat, teſte apud nos obſervantiâ & Carolo de Mean. *ad jus civil. Leodienſ. obſerv.* 345. *num.* 2. *in verbis, ſive bona illa paterna vel materna in defunctum in proprietate nudâ ab uſufructu à parentibus devoluta fuerint, ſive plena proprietas uſufructu conſolidata in defunctum tranſierit.*

Sed hoc de verâ, non civili illa & ſterili pro- 18
prietate accipiendum eſt, quam liberi ſoluto morte unius conjugis matrimonio dicuntur habere in bonis immobilibus parentis ſuperſtitis, nam in hac non procedit conſuetudinaria noſtra Revolutio, cujus aſſertionis ratio patet ex Ordinat. *Cap.* 88. *Ibi.* deß Abgeſtorbenen. quod in mortuo, non autem ſuperſtite & vivo verificatur. Deinde *dict. Cap.* 88. diſponit, daß deß Abgeſtorbenen Haabe und Güter hinder ſich fallen und erben ſollen / &c. Quæ verba præſupponunt bona in defunctum, vel pleno jure vel ſaltem proprietate tenus transmiſſa, at rupto thoro per mortem unius conjugis, vera proprietas cum uſufructu cauſali, manet apud ſuperſtitem parentem & liberi, quibus illa bona in tantum affecta ſunt, ut in eorum præjudicium nequeant alienari, non ſunt niſi domini in ſpe, & ſub conditione, ſi parenti ſuperſtiti ſupervivant adeo ut deficiente hac conditione illis nempe præmorientibus, nihil ad alios hæredes transmittant, prout

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

solidissimus Jurisconsultus D. Petrus Stockmans, in suo non minus eleganti, quam erudito *Tract. de jure Devolutionis* latè probavit & ante eum Anno 1608. 8. Januarii in causa Lipsch contra Kreckelman. DD. Commissarii des Gülichs- und Bergischen Hoffgerichts censuerunt, quomodo igitur Jus Revolutionis obtinebit in proprietate, quæ apud superstitem mansit, nec cum effectu ad ejus liberos transivit? cum viventis nulla sit hæreditas Laß zuvor sterben / alsdann magstu erben / quomodo etiam liberi proprietatem quam ob defectum conditionis non reliquerunt, ad hæredes, ut ita dicam, revolutarios transmittent? res clara est, proinde diutius non insisto, licet attingere debuerim, cum in sequentibus usu veniant.

Porrò cum ex prædeductis pateat bona immobilia ab ascendentibus ad descendentes devoluta
19 subjacere Juri Revolutionis, consequens est non dari locum huic juri, quando bona ab ascendentibus non provenerunt, nec in lineâ directa radices egerunt, quare si Cajus bona immobilia acquirat, postea sine liberis decedat, & fratrem Titium successorem relinquat, qui deinde etiam absque prole moriatur, succedet in hæc bona proximior Titii ultimo defuncti, non habita ratione cognatorum patris matrisve prædicti collateralis Titii, prout latè probant & arresto sive decisione curiæ Parisiensis confirmant supra citati Joann. Papon. *lib.* 21. *tit.* 1. *de Succession. arrest.* 14. Brodeau ad Loüet *lit. P. arrest.* 28. *pag. Mihi* 191. *Col.* 1. §. *pour le regard.* Ubi inter alia notatu digna hanc rationem reddit, quod hæc bona ex linea ascendenti non pervenerint ad defunctum, sed primævam naturam acquisitorum retinuerint,
20 unde etiam Anno 1659. 28. Augusti & eodem Anno 22. Decemb. in causa extrajudiciali Meuten contra Graß apud nos judicatum fuit, quod de bonis, quæ frater acquisiverat, cui soror ab intestato successerat, testari potuerit dicta soror, quod minimè licuisset, si hæc bona per collateralem successionem jus & naturam hæreditariorum assumpsissent, cum illa non admittant testamenti factionem juxta Ordinat *Cap.* 69.

Hæc de allodialibus sint dicta, ad feudalia 21
autem non extendit se jus Revolutionis, sed in illis succeditur secundum regulas Juris feudalis, per text. in Ordinat. nostrâ feudali *cap.* 3. §. Wann jemandt. *Ibid.* Ob er der nächster Lehns-Erb sey des Abgestorbenen Lehntragers. & §. *seq. in verbis*, der rechter Lehnserb. Hæc enim manifestè evincunt, in feudis non allodiales, sed feudales hæredes succedere, quibus accedit alius text. in dict. Ordinat. feud. *Cap.* 4. §. Und ist. *Ibid.* Die Sachen nach den Lehnrechten erörtteren. Neque adversatur quod ordinat *dict. Cap.* 88. loquatur indefinitè de bonis, nam cum hæc consuetudo in multis corrigat non solum jus commune, sed etiam usus feudorum, neque specialem mentionem faciat bonorum feudalium, ideo indefinita locutio sæpe allegati *Cap.* 88. extendi non debet ad feuda fusè Rosenth. *de feud. cap. septimo Conclus.* 17. & *Capite nono Conclusione* 13.

Excipe tamen feuda merè absolutè & omni- 22
nò hæreditaria, nam si de talibus feudis ageretur, non improbabiliter defendi posset, quod in iis jus Revolutionis obtineat, cum de his velut cæteris rebus hæreditariis quoad successionem judicetur Rosenth. *cap.* 2. *concl.* 35. *num.* 4. & *dict. cap.* 7. *concl.* 17. *num.* 11.

Hinc etiam colligere licet, quid sentiendum 23
sit circa bona Churmiedalia tanquam feuda plane degenerantia & impropria, de quibus vide Ordinat *Cap.* 93. §. So auch. *Ibid.* Churmöde & *Cap.* 95. §. So viel nun / ꝛc. *Verbo* Churmöde Rosenth. *de feud. cap.* 2. *concl.* 64. & *cap.* 6. *concl. sexagesima sexta num. secundo Item cap.* 7. *concl.* 33. *num.* 22. Lambert. Goris. *Adversar. jur. tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 13. *num.* 10. Wehner. *practic. Observ. in verbo* Churmöde. Frideric. à Sande *in consuetud. feud. Gelr.* & *Zutphan. tractat. prælimin. cap.* 1. *num.* 30. Historiam meam *num.* 270.

CAPUT QUINTUM.

Quomodo accipi debeat consuetudo daß die Güter fallen und erben sollen hinder sich an die nächste Erben / daher sie kommen.

SUMMARIA.

1 *Primo opinantur aliqui, quod spectanda sit persona immediata patris vel matris non reflectendo ad causam mediatam & originem bonorum.*

2 *Reprobatur hæc opinio.*

3 *Altera opinio est, quod is, qui succedere vult, descendere debeat ab eo, qui bona acquisivit.*

4 *An verba* daher sie kommen *præcisè referri debeant ad communem stipitem & num. decimo nono.*

5 *Familiæ appellatione qui veniant, & numero vigesimo.*

6 *Parentes & acquirentes nihil magis expetunt, quam ut bona sua ad liberos & descendentes quam longissimè possint transmittere.*

7 *Descendentium potissimum interest bona majorum in familia conservari.*

8 *Con-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

8 *Consuetudo dissentanea à jure communi strictissimè interpretanda.*

9 *Prædicta secunda opinio videtur esse recepta apud eos qui simili consuetudine utuntur.*

10 *Allegantur præjudicia pro hac opinione.*

11 *Licet jus Revolutionis obtineat, quando tam defunctus, quam ad ejus successionem contendens descendunt ab uno eodemque stipite.*

12 *Sufficit tamen tertiæ opinionis loco, quod prætendens successionem sit propinquus collateralis primi acquirentis, etiamsi directè non descendat ab eo.*

13 *Probatur hæc opinio ex ipsis verbis consuetudinis & textu Ordinationis numero decimo quarto.*

15 *Per hanc opinionem magis providetur conservationi familiarum.*

16 *Ordinatio prohibens testamenti factionem de bonis immobilibus hæreditariis, comprehendit etiam bona, quæ testatori tantum sunt stipalia, non autem succedenti ab intestato.*

17 *Diuturna praxis & observantia maximè utilis est in explicandis legibus, statutis & consuetudinibus.*

18 *Juxta hanc tertiam opinionem sæpissimè judicatum, ut ostendunt præjudicia subnexa.*

19 *Verba* daher sie kommen *etiam referri possunt ad quemlibet acquirentem, licet non sit communis progenitor.*

20 *Familia contentivè accepta, non tantum descendentes, sed etiam collaterales de familia comprehendit.*

21 *Verisimile est, quod acquirentes transversales de familia potius, quam extraneos ad bona admitti velint.*

22 *Collateralium quoque interest, ut bona in familia maneant.*

23 *Statuta prout jacent & secundum literam intelligi debent, & ubi non distinguunt, nec nostrum est distinguere.*

24 *Ratio statuti omnes personas, casus & causas, quæ ista ratione continentur, includit.*

25 *Authores referentes se ad has vel illas consuetudines intelligi debent juxta terminos istarum consuetudinum.*

26 *Authoritates Doctorum pro hac tertia opinione.*

27 *Respondetur ad præjudicia pro secunda opinione allata.*

28 *Magis standum est iis præjudiciis, quæ verbis & rationi consuetudinis conveniunt.*

29 *An is qui à stipite descendit præferatur collaterali primi acquirentis.*

1 PUlchra & multoties ad disceptationem judiciariam deducta est quæstio, quis sit verus & genuinus sensus sive intellectus consuetudinis nostræ, daß die Güter fallen und erben sollen hinder sich an die nächste Erben / daher sie kommen?

Primò sunt, qui opinantur sensum hujus consuetudinis esse, quod in bonis à patre ad defunctum devolutis agnati proximi ex linea paternâ soli admittantur, in bonis autem quæ defuncto jure successionis à matre obvenerunt, cognati ex parte matris tantum succedant, adeo ut solummodò respici debeat persona proxima & immediata patris vel matris, & an bona ab hac vel ab illo ad ultimo defunctum pervenerint, nec curetur de ulteriori & scrupulosâ indagine, à quo scilicet illa bona quondam acquisita sint. Et ita status Provinciales Anno 1563. petierunt declarari Ordinationem, ut notavi *supra capite primo numero duodecimo & decimo quarto* faciunt etiam pro hac opinione ea, quæ de regula, paterna paternis, materna maternis tradit Carol. de Mean. *ad Jus Civil. Leodiens. Observ. centesima trigesima tertia pag. Mihi* 572. *Vers. denique si admittimus & pag.* 582. *vers. dato autem. Item Observatione tricentesima quadragesima quarta numero octavo.* Joann. Grivell. *Decis.* 109. *num.* 4. *&* 24.

2 Verum hæc opinio reprobatur per antiquissimam consuetudinem Ducatus Montensis *supra cap. primo num. secundo*, adductam, *in Verbis*, Sall all Gut und Erffzähl wider zurückfallen / dar dat herkommen wehre. Also lang alß man dat bewiesen kan. & per ea quæ habentur *eodem cap.* 1. *n.* 16. *in verbis* So weit ein jeder die Sipschafft darthun konte / Item per verba cap. 88. hinder sich fallen / daher sie kommen / hæc enim manifestè evincunt, non solum considerandam esse personam proximam, & an ab ea tantum bona ad defunctum pervenerint, sed altius repetendam esse originem, ulteriusque principium spectari debere, unde & à quo bona processerint.

Hinc etiam declaratio, quam status Provinciales Anno 1563. ut ante dictum, Ordinationi petierunt addi, tanquam à verbis & ratione consuetudinis nostræ omninò aliena minimè fuit admissa, uti colligitur ex dictis *supra Cap. primo num.* 13. *&* 16.

Accedit quod contra hanc sententiam, quæ non nisi proximam & immediatam personam Patris vel Matris considerat, in pluribus successionum casibus imprimis autem Anno 1669. 3. Septemb. in causâ B. contra E. & W. nec non Anno 1672. 8. Novemb. in causâ E. contra S. apud nos judicatum fuerit, prout eam quoque refellit, & in judicando explosam esse exemplis demonstrat supra laudatus Joann. Grivell. *dict. decis.* 109. *numero quinto, sexto, septimo, octavo, nono & vigesimo quarto.* Jul. Brodeau. ad Georg. Loüet. *in lit. P. arrest.* 28.

3 Rejecta igitur hac opinione existimant alii pro secundo consuetudinem nostram in eo sensu accipi debere, quod is qui ex illâ succedere vult, probare debeat se & defunctum directè descendere ab eo, qui primus bona, de quibus agitur, acquisivit, adeò, ut qui per lineam rectam non descendit à primo acquirente & communi stipite, ad illum etiam non revolvantur illa bona.

Fundamenta hujus sententiæ sunt, primò quod verba daher sie kommen / non alio, quam ad com-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

4 communem & defuncti & ejus successionem prætendentis stipitem referri possint.

5 Secundo quod jus Revolutionis conservandarum familiarum ergo sit introductum, ut firmavi *supra Cap.* 2. familiæ appellatione autem veniant descendentes, uti filii & filiæfamilias, nepotes, neptes & deinceps *l. Pronuntiatio.* 195. §. *familiæ ff. de Verb. signific.* Carol. de Mean. *Obs.* 345. *n.* 9. ubi, quod qui non pendet à stipite, à quo bona proveniunt, extra lineam dicantur, imò extra familiam & habeantur loco extraneorum.

6 Tertio propter Votum parentum & acquirentium, qui bona sua ad liberos & descendentes quam longissimè transmitti & penes eandem lineam manere cupiunt. Bachov. in Notis ad Treuthrum *Vol.* 2. *disp.* 16. *thes.* 4. *lit. H. in fin.* Forster. *de Success. ab intest. lib.* 7. *concl.* 4. *num.* 20. Ubi ait hanc esse rationem, quod frater consanguineus succedat in bonis paternis, frater uterinus autem in bonis ex lineâ maternâ quæsitis, si de fratris germani successione inter consanguineos & uterinos quæratur. De quo *supra Capite secundo num.* 6.

7 Quarto, quia descendentium potissimum interest, ut bona quæ majorum, id est, parentum & ascendentium fuerunt, in familia conserventur *l. si in emptionem* 35. *ff. de minorib.* Joann. Crivell. *Decis.* 109. *n.* 2. & 29.

8 Quinto, quod consuetudo nostra dissideat à jure communi, adeoque strictissimè interpretanda sit, & ut, quam fieri potest minimè lædat jus commune, minus autem illud lædi, si descendentes primi acquirentis gradu remotiores solum excludant proximum hæredem de jure communi, quam si collaterales primi acquirentis etiam præferantur iis, qui alias de jure communi succederent.

9 Sexto, quod hæc opinio videatur esse communis & recepta apud eos, qui simili Statuto vel consuetudine utuntur, prout eam in terminis consuetudinis Mosæ Trajectensis expressè tenet sæpe allegatus Carol. de Mean. *Obs.* 133. 268. 344. & 345. Grivell. *decis.* 109. *num.* 23. 26. & 27. Chassan. ad consuetud. Burgund. *Rubr.* 7. §. 8.

10 Denique, quod secundum hanc opinionem Scabini Juliacenses judicarint Anno 1620. in causa Homburg contra Jennisgen / & hanc sententiam supremum nostrum Consistorium non modo confirmavit, sed etiam ita pronuntiaverit Anno 1651. 3. Octob. in causa Karsch contra Nagelschmidt & Anno 1658. 24. Septemb. in causa Spickerman contra Dunck / ut refertur.

11 Verum nec hæc opinio mihi per omnia placet, quamvis enim non dissitear, Juri Revolutionis locum esse, quando tam defunctus, quam ad ejus successionem contendens descendunt ab uno, eodemque stipite, qui bona, de quibus agitur acquisivit, hoc tamen semper necesse esse, & præcisè requiri non admiserim.

12 Sed tertiæ opinionis loco sufficere arbitror, quod prætendens successionem ex jure Revolutionis sit propinquus collateralis primi acquirentis, etiamsi directè non descendat ab eo, nec bona, de quorum successione agitur, à communi stipite vel trunco profecta sint.

13 Adducor in hanc sententiam primo per textum consuetudinis Montensis *supra Cap.* 1. *num.* 2. relatæ *in Verbis.* Sall all Guht und Erffzähll wieder zurück fallen / dar dat herkommen. *Et eodem Cap.* 1. *num.* 13. *Ibi.* Daß die Erbgüter dahin fallen sollen / daher sie kommen. *Item num.* 14. *his verbis*, In allen und jeden Erbgüteren / & paulò post, Daß alle Erbgüter daher sie kommen fallen sollen. Nec non Ordinat. *Cap.* 88. Ibi. Daß die Güter fallen und erben sollen hinder sich ꝛc. Hæc enim verba comprehendunt bona immobilia hæreditaria, nec distinguunt, an dicta bona à communi stipite tam defuncti, quam ejus successionem prætendentis proveniant, & respectu utriusque sint hæreditaria & stipalia, an verò talia sint respectu defuncti tantum & non ejus, qui bona prætendit. Et hæc fuit ratio, quare præter argumenta à Joanne Gallo, *quæst.* 87. adducta Domini Consiliarii magno numero præsentes Anno 1595. 12. Decemb. in causa Thonis contra Vinck (de quâ infra *Cap.* 12. *Exemplo* 13.) concluserint, non requiri præcisè, ut bona à communi tam defuncti, quam illius, qui succedere vult, stipite procedant, scilicet, quia Ordinatio simpliciter loquitur von Güteren non autem von Stock-Güteren.

14 Secundo me movet *dict. Cap.* 88. *in Verbis.* An die nächste Erben: Ubi iterum non distinguitur an proximi hæredes die nächste Erben per lineam rectam descendant ab eo, qui bona, de quibus agitur, acquisivit, an vero sint transversales ejus & à latere cognati, statuto autem non distinguente, nec nostrum est distinguere, & quod Statutum non dicit, nec nos dicere debemus, dixisset autem, si ea mens fuisset, quod prætendens successionem ex lege Revolutionis descendere debeat per lineam rectam à communi stipite & progenitore.

15 Facit huc tertio, quod ratio nostræ consuetudinis sit, ut bona in familia maneant & conserventur, cui certè magis providetur & consulitur, si non tantum descendentes à communi stipite, sed etiam collaterales primi acquirentis ad jus Revolutionis admittantur.

16 Quarto sicuti juxta Ordinationem *Cap.* 69. de bonis immobilibus hæreditariis hanc ob causam testari prohibemur, ne bona de familia exeant, ut dixi *supra cap.* 2. *num.* 2. eaque prohibitio etiam in bonis hæreditariis, quæ succedenti ab intestato non sunt stipalia, sed testatori tantum, obtinet & favorem illorum concernit, qui sunt de familia, licet non descendant à stipite, ita quoque in jure Revolutionis sufficere debet, quod bona sint hæreditaria in persona defuncti, neque necesse est, ut hic & contendens ad successionem unum communem habeant stipitem sive acquirentem.

17 Accedit quinto diuturna praxis & observantia in explicandis, interpretandisque legibus, statutis & consuetudinibus maximè utilis, eò quod tertiæ huic opinioni conformiter tam in priori, quam hoc sæculo sæpissimè responsum & judicatum fuerit. Ostendit enim Exemplum *infra capite septimo*, *numero quarto* allatum, Dominos Consiliarios à prætore & Scabinis Juliacensibus consultos Anno 1557. vigesima secunda Novemb. respondisse, quod in medietate bonorum

18 ad ma-

ad matrem uti coacquirentem ſpectante, & per ejus obitum ad filium proprietate tenus devolutâ, filio deinde ſine liberis mortuo fratres & ſorores matris, à quâ illa medietas provenit, ſuccedere debeant excluſo patre ſuperſtite, minimè vero ita reſpondiſſent Conſiliarii, niſi perſpectum habuiſſent, ſufficere in jure Revolutionis, quod prætendens ſit de latere primi acquirentis, neque requiratur, ut rectâ lineâ ab eo deſcendat, & quamvis Domini Conſiliarii Anno 1560. 15. Junii in cauſa Eßer contra Voller. Anno 1570. 27. Septembr. in cauſa Heinen contra Hilgers. Anno 1581. 24. Januar. in cauſa Schmidts contra Keppel. Anno 1597. 8. Julii in cauſa Nolman contra Behmer &c. pro patre vel matre liberis ſuperſtite, contra præmortui patris matrisve collaterales judicarint, ut latius *infra cap.* 12. *Exemplo* 1. 2. 3. 5. *&c.* factum tamen hoc eſt ob ſpeciales rationes in iſtis cauſis & caſibus militantes, & infra cap. 7. num. 5. 6. 7. 8. & 9. allegatas, non autem propterea, quod in jure Revolutionis probari debeat deſcenſus à communi ſtipite eo minus, quia in cauſa Borman contra Kämerling Joannes & Margaretha Meſey linea etiam recta deſcendentes à Gerhardo Meſey ob ante dictas ſpeciales rationes excluſi fuerunt à medietate bonorum ab hoc Gerhardo provenientium, pro ut videre licet infra cap. 12. Exemplo 4. imo Dominus Procancellarius Bernardus zum Pütz / vir jurium & conſuetudinum patriæ peritiſſimus in præfata cauſa Nolman contra Behmer expreſsè ſuſtinuit. Es ſeye hiebevor beſchloſſen / daß wegen deß Rückfals nicht geſehen werden ſolle. An à ſtipite veniant bona &c. ut apparet ex ipſius Voto infra cap. 12. in quinto exemplo.

Eodem ulterius tendunt res apud nos judicatæ Anno 1560. 10. Sept. in cauſa Embken contra Waſſenberg. Ao. 1595. 12. Decemb. in cauſa Boeners contra Zourß. Ao. 1604. 19. Octob. in cauſa Koußman contra Boechen. Anno 1605. 10. Nov. in cauſa Linck contra Deutz. Ao. 1607. 3. April. in cauſa Spetgen contra Hanßen. Ao. 1601. 11. Septemb. in cauſa Arnolds contra Junckers / & Ao. 1643. 10. Sept. in cauſa extrajudiciali Chriſtianen Schnitzler contra Leuffgen im Broch / und Johannen Spickernagel de quibus latius infra cap. 12. Exemplo 8. 9. 10. 11. 13. 4. 10. 20. 21. 26. &c. Hæc enim ſatis evincunt, quod etiam collaterales primorum acquirentium admiſſi fuerint ad ſucceſſionem bonorum Revolutioni obnoxiorum quibus conſequenter nos quoque ita judicavimus Anno 1669. 3. Sept. in cauſa B. contra E. & W. nec non Anno 1672. 8. Novemb. in cauſa E. contra S.

Firmata igitur hac opinione, quod ſufficiat, ut aliquis ſit proximus conſanguineus ultimo defuncti & collateralis ejus, à quo bona, de quorum ſucceſſione agitur, provenerunt, neque omnino neceſsè ſit; ut per lineam rectam ab eo deſcendat, facilis eſt reſponſio ad argumenta contrariæ opinionis, & quidem ad primum quod verba: daher ſie kommen non reſpiciant præciſè communem
19 ſtipitem defuncti & ad ejus ſucceſſionem contendentis, ſed æque referri poſſint, ad quemlibet alium acquirentem, à quo bona provenerunt, licet non ſit communis parens & progenitor, eo quod adverbium, Undè. ſit generale, & ex ratione conſuetudinis noſtræ, quæ eſt conſervatio familiarum explicari debeat; conſervatur autem familia tam per transverſales acquirentis, quam linea recta ab eo deſcendentes. Quibus adde Jul. Brodeau ad Georg. Loüet *Lit. P. arreſt.* 28. *pag. Mihi.* 189. *col.* 2. *in princ.* Ubi ait, non requiri deſcenſum à ſtipite, etiamſi Statutum vel conſuetudo utatur verbis: Unde procedunt.

Ad ſecundum argumentum reſpondeo, quod 20
familia contentivè ſive comprehenſivè accepta non deſcendentes tantum, ſed etiam collaterales complectatur. Knipſchildt *de fideicomm. cap.* 8. *num.* 22. *&* 23. Idque eò magis in ſubjecta materia, quod alias, ſi nempè collaterales à jure Revolutionis excluderentur, bona in alienas tranſirent familias, quod eſt contra rationem hujus conſuetudinis, quæ vult, ut bona in familia maneant.

Non urget etiam tertium argumentum, quamvis enim eorum, qui bona acquirunt, mens & commune votum ſit, ut poſteris & deſcendenti- 21
bus provideant, veriſimile tamen eſt & omninò præſumendum, quod acquirentes potius transverſales de familia, quam extraneos ad illa bona admitti velint.

Quartæ in contrarium adductæ rationi ſatisfit per hoc, quod ſicuti deſcendentium intereſſe dicitur, ut bona à majoribus & aſcendentibus ac- 22
quiſita ac poſſeſſa apud ſe maneant, ita collateralium de familia non minus interſit, ut bona in familia conſerventur.

Quintum argumentum aliquod negotium faceſſere videtur, ſed re bene inſpecta non obſtat, tum quod Statuta prout jacent, & ſecundum li- 23
teram intelligi debeant, & ubi ſtatutum non diſtinguit, nec noſtrum ſit diſtinguere. Gail. *lib.* 2. *Obſ.* 33. *num.* 1. *&* 2. Sicuti noſtra conſuetudo non diſtinguit, an bona proveniant à communi ſtipite vel à transverſali primo acquirente, nec etiam inter hæredes à primo acquirente deſcendentes & ejus collaterales, ut latius oſtendi *hoc Cap. n.* 13. *&* 14.

Tum quod ratio Statuti omnes caſus perſonas 24
& cauſas, quæ iſta ratione continentur, includat, etiamſi exinde juris communis correctio ſecutura eſſet, Hunn *in Encycloped. jur. univerſ. part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 7. *de Interpretat. Statut. num.* 35. *&* 36. Atqui ratio noſtræ conſuetudinis, nempe conſervatio familiarum, comprehendit etiam transverſales de familia primi acquirentis, ergo dicti transverſales admittendi ſunt, licet jus commune magis per hoc lædatur.

Authores in ſexto fundamento adverſæ opi- 25
nionis allegati intelligi debent juxta conſuetudines, ad quas ſe referunt, proinde ad noſtram conſuetudinem commodè trahi non poſſunt. Nam Carol. de Mean. & Molinæ, loquuntur de conſuetudine & regula paterna paternis, materna maternis, noſtra conſuetudo autem plus habet & aliter ſonat. Joann. Grivell. *dict. dec.* 109. occupatur circa conſuetudinem Dolanam hujus tenoris. *Les biens enſuiuent la ligne, dont ils ſont mauvans en ſucceſſion ab inteſtat, c'eſt a ſçavoir les enciens biens & heritages procedans du coſté paternel, eſſcheent aux parents de la ligne paternelle, & les procedans du coſté maternel, aux*

parents de la ligne maternelle, nostra consuetudo verò nullam mentionem facit lateris, vel lineæ paternæ aut maternæ, nec etiam loquitur de bonis avitis & hæreditagiis antiquis, sed simpliciter de bonis, quod illa in successione ab intestato eo recidere & revolvi debeant, unde provenerunt. Nec mirum quod Chassan. *citat. rubr.* 7. §. 8. sentiat, bona, de quorum successione agitur, à communi stipite tam defuncti, quam ejus qui succedere intendit, provenire debere, nam consuetudo Ducatus Burgundiæ expressè disponit, quod hæreditagia sequantur in successionibus lineam trunci ex quo procedunt, secus apud nos, ubi consuetudo trunci, stipitis, vel ejus lineæ non meminit.

Præterea si authoritatibus Doctorum agendum est, non desunt magni nominis Jurisconsulti, qui sentiunt non requiri, quem directè descendere ab eo, qui primus bona quæsivit, sed sufficere quod sit ejus collateralis inter quos est
26 Papon. *lib.* 21. *tit.* 1. *de success. legit. arrest.* 14. & 17. Joan Gall. *quæst.* 87. in supradict. causâ Thonis contra Vinck à Domino Referente allegatus Carol. Molin. in Apostilla ad Joann. Gall. *dict. quæst.* 87. Choppin. *de morib. Paris lib.* 2. *tit.* 5. *num.* 8. Valer. Andreas *ad instit. Zœsii lib.* 3. *tit.* 2. *de legit. agnag. success. num.* 3. Jul. Brodeau ad Georg. Loüet. *Lit. P. arrest.* 28. *vers. l' autre opinion. pag. mihi* 188. *& ibidem citati.*

Denique non obstant præjudicia ex adverso 27
allegata dato enim, quod juxta illa collaterales primi acquirentis repulsam tulissent, extant tamen contraria præjudicia eaque antiquiora & recentia 28
menti & verbis consuetudinis nostræ magis convenientia & solidioribus innixa fundamentis, quibus proinde standum esse censeo, & his consequenter concludo sufficere, quod prætendens successionem ex lege Revolutionis sit cognatus collateralis primi acquirentis.

An autem is qui lineâ recta descendit à primo 29
acquirente, gradu tamen remotior est, præferatur illi, qui est collateralis primi acquirentis & proximior in gradu vide infra Cap. 12. Exemplo 21.

CAPUT SEXTUM.

Quibus in lineis locus sit juri Revolutionis?

SUMMARIA.

1 *JUs Revolutionis non habet locum in successione descendentium.*
2 *Obtinet autem in successione ascendentium exceptis aliquibus casibus Num.* 4.
3 *Procedit etiam jus revolutionis in successione collateralium.*
5 *Origo bonorum consideratur, usque dum successio ordinario jure locum habet.*

1 JUS Revolutionis non habet locum, quando descendentes succedunt ascendentibus, prout apertè indicat consuetudo Ducatus Montensis *supra cap.* 1. *num.* 2. adducta in verbis: Wan kein Lyffsgeburth davan en lessde. Si igitur defunctus, liberos, nepotes, vel ulterioris gradus descendentes relinquat, hi succedent ei secundum Ordinationem *Cap.* 70. 71. 74. *&c.*

2 Obtinet autem jus Revolutionis in successione ascendentium, sive defunctus solos ascendentes relinquat, de quo casu tractat Ordinatio *cap.* 80. sive secundum *Cap.* 81. concurrant fratres & sorores utrinque conjuncti, eorumque liberi, sive etiam juxta *cap.* 82. pater aut mater, avus aut avia ad secundas transeant nuptias.

Procedit quoque jus Revolutionis in successione collateralium, quando scilicet defunctus nec 3
descendentes, nec ascendentes sed collaterales tantum reliquit.

In dictâ, inquam, Successione, ascendentium & collateralium regulariter attendi debet prærogativa originis unde bona, de quibus agitur, provenerint, uti clarum fit ex iis, quæ notavi *supra Cap.* 1. *num.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 20. *& infra Cap.* 12. Exemplis demonstrabo.

Dixi regulariter, excipiuntur enim aliqui casus in successione ascendentium de quibus fusius 4
Cap. seq. à num. 1. *usque ad num.* 9. *inclusivè.*

Consideratur porrò origo bonorum, usque 5
dum successio ordinario jure locum habere potest. Rickius *de Union. prol. cap.* 2. *num.* 24. *Ibi.* Sextò ampliatur. Grivell. *dec.* 109. *n.* 9. *his verbis, Si modo ii, qui successionem prætendunt sint intra legitimos gradus succedendi, It. n.* 32. *ibidemque allegatus* Tiraq. *de retr. lig.* §. 1. *gloss.* 9. *num.* 23.

* *
*

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De quibusdam casibus in Successione ascendentium sæpius controversis & decisis.

SUMMARIA.

1 *Bona per Conjuges stante matrimonio acquisita communia sunt inter virum & uxorem.*
2 *Matre & liberis præmortuis, an pater superstes, an vero collaterales defunctæ matris succedant liberis in medietate acquisitorum, quæ à matre provenit.*
3 *Pro collateralibus facit Ordinatio cap.* 88.
4 *Pro his etiam responderunt Consiliarii Ducis VVilhelmi Anno* 1557. 22. *Novemb.*
5 *Contra pro patre vel matre superstite militat Ordinatio Anno* 1555. 1556. 1557. *&* 1562. *edita cap.* 80. *&* 82.
6 *Item Sententia in causâ* Eßer *contra* Voller *Anno* 1560. 15. *Junii lata.*
7 *Et VVilhelmi Ducis declaratio Ordinationi Anno* 1565. *editæ cap.* 82. *inserta.*
8 *Facit præterea pro patre vel matre superstite, quod non solum sint sanguine proximi, sed etiam coacquisiverint.*
9 *Extant quoque in favorem patris, matrisve superstitis præjudicia & res judicatæ, ubi etiam remissivè de bonis ab avo & avia acquisitis stante matrimonio.*
10 *Quid juris sit in bonis, ab uno conjugum ante matrimonium partis.*
11 *Pro consanguineis acquirentis sæpius judicatum.*
12 *Bona ad liberos semel devoluta sunt hæreditaria & Revolutioni obnoxia.*
13 *Dispositioni Ordinationis Cap.* 80. *derogatur per clausulam finalem Cap.* 88. *quoad bona hæreditaria à defuncto relicta.*
14 *Cap.* 82. *videtur loqui tam de bonis ante matrimonium, quam eo constante acquisitis.*
15 *&* 16 *Sed probabilius est dict. Cap.* 82. *accipiendum esse de bonis ab utroque conjuge stante matrimonio partis.*
17 *Uberiori favore prosequimur inter conjuges, quæ communi amborum labore comparata, quam unius tantum ære & sudore quæsita.*
18 *De Sententia Cameræ Imperialis in causâ* Spetgen *contra* Hanßen.
19 *Attestatio de intellectu Cap.* 82.
20 *Ab opinione in contradictorio judicio firmata non facile est recedendum.*

JOannes & Maria conjuges emerunt constante matrimonio bona immobilia, quæ ex consuetudine Ducatuum Juliæ & Montium, in quibus sita sunt, ad utrumque conjugem spectant ex æquo, seu pro mediâ ad unumquemque patre, ut dixi in Historia Jur. Civil. *num.* 92. & appendice *num.* 158. ex hoc matrimonio natus est Paulus, qui matri postea defunctæ in medietate, quæ ad illam spectavit, proprietate tenus successit. Ordinat. *Cap.* 70. Salvo patri usufructu *per text. in Cap.* 95. §. 1. mortuus deinde est Paulus superstitibus ei Johanne patre & Mariæ matris fratribus & sororibus germanis. 1

Quæritur, quis potior sit in successione mediæ partis bonorum à Joanne & Maria acquisitorum ac ex dictæ Mariæ capite ad Paulum filium devolutorum, an pater Joannes, an fratres & sorores Mariæ? 2

Pro fratribus & sororibus facit, quod controversa medietas à Maria provenerit, adeoque ad ejus fratres & sorores, uti proximos consanguineos revolvi debeat per text. in Ordinat. Cap. 88. Ibi. Daß die Güter fallen und erben sollen hinder sich an die nächste Erben / daher sie kommen. 3

Pro his etiam responderunt Consiliarii Ducis Wilhelmi à prætore & Scabinis Juliacensibus consulti Anno 1557. 22. Novemb. uti patet ex sequenti casu & resolutione. 4

Casus.

ITem. Ist einer im Leben gewesen / hat mit seiner Haußfrawen etliche Erbschafft gegolden / und haben samen ein Kind gelassen / demnach ist die Mutter verstorben / da hat der Mann seine zweyte Haußfraw genommen / und mit derselben auch ein Kind erobert / so ist das Vorkindt erst und darnach der Vatter gestorben. Nun vermeint das Nachkind / daß die geworbene Güter jhme allein zustehen sollen. Demnach kommen der erster Haußfraw rechte Brüder und Schwester und vermeinen als solche Güter ihr Mann und sie gegolden und geworben / und keine Leibs-Erben verlassen / so solle die Helffte der Güter jhnen zustehen / nachdem alle Güter dahin fallen und erben sollen / da sie her kommen seynd.

Resolutio.

DJeser art. hat nach altem herbrachten Gebrauch etlicher massen seine Erledigung in der reform. im Tit. Beschluß von Success. und

solle

solle verstanden werden / daß auff solchen Fall der abgestorbener Mutter (oder auch des Vatters) alle verlassene gewonnene Güter ihren nächsten Cognaten zum halben theil / und dan auch dem Kind in der zweyter Ehe gebohren / zum anderen halben Theil anfallen sollen.

Id est, quod in unâ medietate, quæ ad matrem coacquirentem spectavit, succedant cognati materni, altera medietas verò, quæ patris fuit, post ejus mortem ad filium ex secundo matrimonio genitum devolvatur.

Contra verò pro patre militat text. Ordinat. Anno 1555. 1556. 1557. & 1562. editæ. *Cap.* 80. §.
5 Wa aber auß Vatter oder Mutter ihr eins mit Todt abgangen / so erbt das ander / so noch im Leben ist / alle Güter und Habe unverscheidentlich vor allen Anherren und Anfrawen und allen anderen Freunden. Item *Cap.* 82. §. So ein Mutter. Ibi Dan auff solchen Fall / so bleibt der Mutter oder Anfraw nicht allein die Leibzucht oder Abnutzung solcher Güter die gantze Zeit ihres Lebens / sondern auch dero Eygenthumb / damit zu schaffen und zu thun / was ihr geliebt & §. Solche Erbfolgung. ubi idem statuitur de patre & avo.

6 Prout etiam pro patre contra cognatos matris judicatum fuit Anno 1560. 15. Junii in causa Eßer contra Voller / uti latiùs *infra Cap.* 12. *in primo exemplo.*

7 Hanc textuum Ordinationis & opinionum discrepantiam videntur Consiliarii accedente Ducis Wilhelmi authoritate conciliasse, dum Anno 1563. (quando Ordinatio revisa fuit) prædictum *Cap.* 82. declararunt, daß der Mutter in den Erbgüteren die Leibzucht / aber in den gewonnenen und geworbenen Güteren auch dero Eygenthumb verbleiben solle. Sicuti notavi *supra Cap.* 1. *num.* 10. & in Hist. Juris Civilis *pag.* 21. *in Additionibus & declarationibus marginalibus num.* 83. *& seqq.* Cumque hæc declaratio Ordinationi Anno 1565. impressæ & postea sæpius recusæ *dict. Cap.* 82. §. 1. inserta & in §. *fin.* ad patrem extensa sit, videmur habere textum expressum, quod in bonis immobilibus stante matrimonio partis pater vel mater superstes liberis succedat exclusis prædefuncti conjugis coacquirentis consanguineis.

Cui quidem eo magis standum esse censeo,
8 tum quia pater materve superstes non solum sunt proximi in gradu, sed etiam bona de quibus agitur, coacquisiverunt, & sic duplici jure nituntur sanguinis nimirum & coacquisitionis, tum quod
9 ita judicatum fuerit Anno 1570. 27. Septemb. in causa Heinen contra Hilgers. Anno 1581. 24. Januar. in causa Schmidts contra Koppel. Anno 1586. in causa Borman contra Kämerling / Anno 1597. 8. Julii in causa Nolman contra Behmer. Anno 1627. 24. April. in causa Broch Sittardt contra Pützfeldt. Anno 1679. 29. Augusti in causa Meysenberg contra Court / & Anno 1680. in causa Holthausen contra Venth / uti plenius videre licet *infra Cap.* 12. *Exemplo* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *&* 22.

Quid etiam sentiendum sit de bonis ab avo & aviâ stante matrimonio acquisitis dicam *infra cap.* 12. *Exemplo* 23. 24. *&* 25.

10 His succedanea est illa quæstio quomodo nempe succedatur in bonis ab uno conjugum ante matrimonium acquisitis, & per illius obitum ad liberos devolutis, si liberi deinde improles moriantur superstitibus patre vel matre ex unâ & cognatis primi acquirentis ex alterâ parte.

Et pro consanguineis dicti acquirentis judica- 11
runt Domini Consiliarii Anno 1570. 27. Sept. in causa Heinen contra Hilgers. Anno 1595. 12. Decemb. in causa Boeners contra Zourß / Anno 1604. 19. Octobr. in causa Kouseman contra Boechen / Anno 1605. 10. Novemb. in causa Linck contra Deutz / & Anno 1607. 3. April. in causa Spetgen contra Hanßen / per rationem, quod bona ante conjugium acquisita, & morte acquirentis ad liberos proprietariè devoluta in persona liberorum sint hæreditaria & patrimonialia, adeoque ad proximos cognatos primi acquirentis revolubilia, *per sæpe allegat. Cap.* 88. uti latius ex iis apparet, quæ dicam *infra Cap.* 12. *Exemplo* 2. *in Notis ibid. à princip. usque ad* §. *secundo. Item Exemplo* 8. 9. 10. *&* 11.

Nec obstat Ordinatio *Cap.* 80. §. Wa aber 13
auß Vatter &c. eò qnod hoc Cap. desumptum sit ex jure communi, huic autem, quoad bona hæreditaria à defuncto relicta derogetur per clausulam finalem *Cap.* 88. ut plenius dixi *supra Cap.* 1. *n.* 5. 6. 8. 9.

Non movet etiam, quod Ordinatio Anno 14
1565. edita *Cap.* 82. indefinitè loquatur de bonis acquisitis proinde tam ab uno conjugum ante matrimonium, quam eo constante ab utroque acquisitorum proprietatem superstiti deferre videatur, cum indefinita æquipolleat universali, & qui dicit omnia excludat nihil.

Respondetur enim patere ex prædictis, quod 15
ante Ordinationem Anno 1565. editam, in una alterave causâ controversum fuerit, an pater vel mater præreptis morte liberis superstes succedere deberet in mediâ parte bonorum stante matrimonio quæsitorum, quæ ad præmortuum conjugem spectavit, an vero illa medietas postposito patre vel matre revolveretur ad consanguineos conjugis primo defuncti, à quo processit?

Cumque, ut ante dixi, hæc controversia An- 16
no 1563. & 1564. in favorem patris matrisve superstitis decisa, declaratumque fuerit: Daß dem Vatter oder Mutter in den gewonnen und geworbenen Güteren der Eygenthumb bleibe / ratio suadet, ut hæc declaratio Ordinationi Anno 1565. impressæ addita de bonis constante matrimonio partis (quorum ergo, lis erat) accipi & intelligi debeat. Extra hunc casum verò & ad bona ante conjugium acquisita (de quibus tempore prædictæ declarationis forte non fuit cogitatum, neque ante litigatum) minime extendatur. Sed illa *juxta Cap.* 88. consanguineis prædefuncti conjugis, unde processerunt, relinquantur, maximè cum inter utrumque genus ac quæ- 17
stuum hæc disparitas sit, quod multo uberiori favore prosequamur inter conjuges, quæ communi amborum labore solertiâ & industriâ empta & parata sunt, quam unius tantum ære & sudore quæsita, ut appositè inquit Renat. Choppin *de moribus parisior. lib.* 2. *tit.* 5. *num.* 14. *Ibi.* Sed agitatum est.

Retractavit quidem Camera Imperialis sen- 18
tentiam in supradicta causa Spetgen contra Hansen / apud nos latam & bona à Mevisen von dem

dem Berg in cœlibatu acquisita matri liberis superstiti adjudicavit, uti videre licet *infra cap.* 12.
19 *Exemplo undecimo.* Verum cum ratio hujus reformatoriæ me lateat, præterea attestatio Dominorum Consiliariorum & Aulici nostri Judicii Commissariorum *prædicto exemplo undecimo* in fine subnexa haud obscurè indigitet, quod *cap.* 82. de bonis stante matrimonio comparatis, non verò de iis, quæ ante matrimonium quis acquisiverit, semper intellectum sit, difficulter adduci possum, ut ab hâc opinione tot præjudiciis in contradicto judicio apud nos obtentis firmata recedam, donec de solida ratione antedictæ reformatoriæ Cameralis plenius instruar, vel per novam declarationem Principis aliud statuatur. 20

CAPUT OCTAVUM.

Duplicitas vinculi, & identitas cognominis, an in Jure Revolutionis attendi debeat?

SUMMARIA.

1 *In casibus, ubi secundum Jus commune & Ordinationem consideratur duplicitas vinculi, utrimque conjuncti excludunt uno solum latere junctum, licet hic & ille descendant ab eo, unde bona, de quibus agitur, provenerunt.*

2 *Exemplificatur hoc in casu, quo defuncti soror, & præmortui fratris liberi utrimque conjuncti contendunt ad bona, contra fratrem consanguineum.*

3 *Idem obtinet, si defunctus solos fratrum utrimque conjunctorum liberos & fratrem consanguineum relinquat.*

4 *Ultra fratres eorumque liberos non attenditur duplicitas vinculi Item num.* 9. 10. & 21.

5 *An moribus nostris utrimque conjuncti præferantur ex uno latere junctis, si & hi & illi sint ex rectâ lineâ ejus, unde bona provenerunt.*

6 *Exemplum & præjudicium pro affirmativâ.*

7 *Liberis primi matrimonii debentur bona immobilia ab ascendentibus provenientia.*

8 *Verius est, dictam Auth. apud nos observari, nec duplicitatem vinculi attendi debere in casu proposito.*

